

cramento tribuitur, si constitutis tantum Paschæ et Pentecostes diebus, solemni cæremonia baptissimum suscipiant.

*Baptismus adultis quando non differendus.*

XXXVII. Sed interdum tamen baptismi tempus justa aliqua et necessaria de causa differendum non est veluti si vite periculum instare videatur ac presertim si illi abluendi sint (*a*), qui jam fidei mysteria plene perceperint; quod quidem Philippum et Apostolorum principem fecisset satis constat, cum alter Candacus regina eunuchum, alter Cornelium nulla interposita mora, sed statim ut se fidem amplecti professi sunt, baptizavit.

*Debent velle baptismum qui baptizantur.*

XXXVIII. Docendum præterea et populo explicandum erit, quomodo affecti esse debent qui baptizandi sunt. In primis itaque opus est, ut velint propositumque illis sit baptismum suscipere, nam cum unusquisque in baptismō peccato moriatur, et novam vivendi rationem, et disciplinam suscipiat, æquum est, non invito cuiquam aut recusanti, sed illis tantum, qui sponte sua et libenti animo accipiunt baptismum præberi. Quare ex sancta traditione (*b*) semper seruatum animadvertisimus, ut nemini baptismus ministretur, nisi prius interrogatus fuerit an velit baptizari. Nec vero in pueris quoque infantibus eam voluntatem deesse existimandum est, cum Ecclesiæ voluntas, quæ pro illis spondet, obscura esse non possit.

*Amentes an et quando baptizandi.*

XXXIX. Præterea, amentes et furiosos, qui cum

(*a*) Act. 8, 33 et 10, 48. — (*b*) Aug. lib. de Pœn. med. c. 2, D. Thom. 3 p., q. 65, 5, 7.

aliquoando compotes mentis essent, in insaniam deinde inciderunt, ut qui eo tempore nullam baptismi suscipiendi voluntatem habeant, nisi vite periculum immeial, baptizandos non esse; cum autem in vita discrimine versantur si antequam furere inciperent, ejus voluntatis significationem dederunt, abluendi sunt, sin minus a baptismi administratione abstinentem est (*a*). Idemque iudicium de dormientibus fieri debet. Quod si in mentis potestate nunquam fuerunt, ita ut nullum rationis usum habuerint, eos in fide Ecclesiæ non secus ac pueros, qui ratione carent, baptizandos esse, Ecclesiæ auctoritas et consuetudo satis declarat.

*Tria in adulis baptizandis requisita. Fides.*

XL. Verum præter baptismi voluntatem, fides etiam ea ratione, qua de voluntate dictum est, ad consequendam sacramenti gratiam maxime necessaria est. Etenim Dominus et Salvator noster docuit: (*b*) Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvis erit.

*Pœnitentia. Propositorum non peccandi.*

Deinde, ut quemlibet admissorum scelerum et male actæ vita peniteat, atque ut idem in posterum a peccatis omnibus abstinere statuat opus est; aliter enim qui ita baptismum peteret, ut tamen peccandi consuetudinem nollet emendare, omnino repellendus esset; nihil enim baptismi gratia et virtuti adeo repugnat quam eorum mens et consilium qui nullum unquam peccandi finem sibi constituant. Cum itaque baptismus ob eam rem expetendus sit, ut Christum induamus et cum eo conjugamur, plane constat merito a sa-

(*a*) D. Thom. 3 p., q. 86. art. 12. — (*b*) Marc, 16, 16.

cra ablutione rejiciendum esse, cui in vitiis et peccatis perseverare propositum est; præsertim vero quia nihil eorum quæ ad Christum et Ecclesiam pertinent, frustra suscipiendum est, inanemque baptismum, si justitia et salutis gratiam spectemus, in eo futurum esse satis intelligimus, (a) qui secundum carnem ambulare, non secundum spiritum cogitat; et si quod ad sacramentum pertinet, perfectam ejus rationem sine ulla dubitatione consequitur, si modo cum rite baptizatur, in animo habeat id accipere quod a sancta Ecclesia administratur. Quamobrem principes apostolorum magnæ illi hominum multitudini, qui, ut ait Scriptura, compuncti corde; ab eo et a reliquis Apostolis, quid sibi faciendum esset, quæsiverant, ita respondit: (b) Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum; et alio loco: (c) Pœnitemini, inquit, et convertimini, ut delectetur peccata vestra. Item beatus Paulus, ad Romanos scribens: (d) aperte ostendit ei, qui baptizatur, omnino moriendo esse peccatis: quare nos non ne exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo, tanquam ex mortuis viventes.

*Hæc doctrina de baptismo quam utilis.*

XLI. Hæc vero si fideles sèpe meditati fuerint, primum quidem summam Dei bonitatem vehementer admirari cogentur, qui nihil tale merentibus, tam singulare et divinum baptismi beneficium sola sua misericordia adductus tribuit: deinde, cum sibi ante oculos proponent, quam aliena esse debeat ab omni crimine eorum vita qui tanto munere ornati sunt; illud etiam in pri-

(a) Rom. 8, 1. — (b) Act. 2, 38. — (c) Act. 5, 19. —  
(d) Rom. 6, 11.

mis a christiano homine requiri facile intelligent, ut quotidie tam sancte et religiose traducere vitam studeant, perinde ac si ea ipsa die baptismi sacramentum et gratiam consecuti essent. Quanquam ad inflammandos vera pietatis studio animos nihil magis proficiet, quam si pastores accurata oratione explicaverint quinam sit baptismi effectus.

*Primus baptismi effectus peccatorum remissio.*

XLII. De his igitur quoniam sèpe agendum est ut fideles magis perspiciant se in altissimo dignitatis gradu positos esse, nec se ab eo dejici ullis adversariis insidiis, vel impetu, ullo unquam tempore patiantur: hoc primum tradere oportet, peccatum, sive a primis parentibus origine contractum, sive a nobis ipsis commissum, quamvis etiam adeo nefarium sit, ut ne cogitari quidem posse videatur, admirabili hujus sacramenti virtute remitti et condonari: Id vero multo ante ab Ezechiale prænuntiatum est, per quem Dominus Deus ita loquitur: (a) Effundam super vos aquam mundam, et mundabitimi ab omnibus iniquitatibus vestris. Et Apostolus ad Corinthios, post longam peccatorum enumerationem subiecit: (b) Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis. Atque hanc doctrinam perpetuo a sancta Ecclesia traditam esse perspicuum est. Sanctus enim Augustinus, (c) in libro quem de baptismo parvulorum conscripsit, ita testatur: Generante carne tantum contrahitur peccatum originale; regenerante autem spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum peccatorum fit remissio; et sanctus Hieronymus ad Ocea-

(a) Ezech. 56, 25. — (b) 1 Cor. 6, 11. — (c) Lib. I de Peccat. meritis et remiss. c. 15.

num (a). Omnia, inquit, in baptimate condonata sunt crimina. Ac ne dubitare amplius ea de re cuiquam licet, post aliorum conciliorum definitionem, sacra etiam Tridentina Synodus idem declaravit (b), cum anathema in eos decrevit, qui aliter sentire auderent, quive asseverare non dubitarent, quamvis peccata in baptismō remittantur ea tamen prorsus non tolli, aut radicibus evelli, sed quodam modo abradi, ita ut peccatorum radices animo infixa adhuc remaneant. Namque, ut ejusdem sancte Synodi verbis utamur, in renatis nihil odit Deus : quia nihil damnationis est his qui vere (c) conseputi sunt cum Christo per baptismā in mortem (d), qui non secundum carnem ambulant, sed (e) veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt. *De hoc effectu baptismi vide insuper Aug. lib. 1 contra duas Epist. Pelag. c. 15, et l. 5, c. 5, in Enchir. c. 64, et lib. 1 de Nupt. et Concip. c. 25. Item Greg. lib. 9. Ep. 59 Concil. Vienn. et Florent. in mater. de Sacram.*

*Concupiscentia in baptizatis remanens non est peccatum.*

XLIII. Ac fateri, quidem oportet, sicut eodem loco ipsius Synodi auctoritate decretum est, in baptizatis concupiscentiam vel fornitionem remanere: sed illa vere peccati rationem non habet; nam ex divi quoque Augustini sententia, in parvulis baptizatis concupiscentia reatus absolvitur, ad agnem relinquunt, atque idem (f) alibi testatur :

(a) Epist. 85 ante medium. — (b) Sess. 5, can. 5. — (c) Rom. 6, 4. — (d) Rom. 8, 1. — (e) Eph. 4, 22. — (f) Aug. lib. 2, de Pecc. mer. et remiss. c. 4.

Concupiscentiae reatus in baptimate solvitur, sed infirmitas manet, concupiscentia enim quæ ex peccato est nihil aliud est, nisi animi appetitio natura sua rationi repugnans; qui tamen motus si voluntatis consensum aut negligentiam coniunctam non habeat, a vera peccati natura longe abest. At cum divus Paulus inquit : (a) Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret : Non concupisces; ex his verbis, non ipsam concupiscedi vim, sed voluntatis vitium intelligi voluit. Eamdem doctrinam tradidit divus Gregorius (b), ita scribens : Si qui sunt qui dicant peccata in baptismō superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius? cum per fidei sacramentum anima peccatis radicus absoluta, soli Deo inhæreat. Atque ad eam rem demonstrandam Salvatoris nostri testimonio utitur, cum apud sanctum Joannem ait (c) : Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet : sed est mundus totus.

*Figura baptismi.*

XLIV. Quod si cui expressam hujus rei figuram et imaginem libet intueri, proponat sibi ad contemplandam Naaman Syri leprosi historiam, qui cum septies Jordani aqua se abluisset, testante Scriptura, ita (d) a lepra mundatus est, ut ejus caro, caro pueri videretur. Quare baptismi proprius effectus est peccatorum omnium, sive originis vitio, sive nostra culpa contracta sint, remissio, cuius rei causa a Domino et Salvatore nostro institutum esse charissimis verbis Apostolorum princeps, ut alia testimonia omittamus, explicavit cum inquit (e) : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu

(a) Rom. 7, 7. — (b) Lib. 9, Regist. Epist. 39. — (c) Joan. 5, 10. — (d) 4 Reg. 5, 14. — (e) Act. 2, 38.

Christi in remissionem peccatorum. *De Concupiscentia remanente in baptizatis* vide Aug. lib. 1 de Pecc. meriti. et remiss. c. 39. Item, lib. 1, contra duas Epist. Pelag. c. 13, lib. 3, c. 5 in medio, et lib. 1 de Nupt. et Concupisc. c. 23 et 25. Item, lib. 6 contra Julian. q. 5, et de verb. Apost. Serm. 6.

*Secundus baptismi effectus, paenitentia peccatis debitis remissio.*

XLV. Jam vero, in baptismo non solum peccata remittuntur, sed peccatorum etiam et scelerum poenarum omnes a Deo benigne condonantur: nam etsi omnibus sacramentis hoc commune est, ut per illa virtus passionis Christi Domini communicetur; de solo tamen baptismo dictum est ab Apostolo, nos per ipsum (a) Christo commori, et sepeliri. Ex quo sancta Ecclesia semper intellexit, sine maxima sacramenti injuria fieri non posse, ut ei qui baptismo expandus sit ejusmodi pietatis officia, quae usitato nomine sancti Patres opera satisfactionis vocarunt impontantur. *Quod paenitentia peccatis debitis remittantur in baptismo,* vide Ambros. in c. 11, ad Rom. Aug. lib. 1, de Nupt. et Concupisc. c. 35, et in Ench. c. 4. D. Thom. p. 3, q. 69, art. 2, unde nec ulla est imponenda paenitentia Gregor. lib. 7 Regist. Epist. 24, et habetur de Consecrat. distinct. 4, cap. Ne quod absit. D. Thom. 5 p. q. 68, art. 5.

*Ad quid ante baptismum opera penitentiae.*

XLVI. Nec vero, quæ hoc loco traduntur, veteris Ecclesiæ consuetudini adversantur: quæ olim iudeis, cum baptizarentur, præcipiebat ut quadraginta continuos dies jejunarent: neque enim

(a) Rom. 6, 3, 4. Col. 2, 12.

illud institutum ad satisfactionem pertinebat: sed qui baptismum percepissent, ea ratione admonebantur, ut sacramenti dignitatem venerantes, jejuniis et orationibus aliquandiu sine intermissione operam darent.

*Paenitentia in baptismo non remittuntur.*

XLVII. Sed quanquam in baptismo prenas peccatorum condonari exploratum esse debet, ab eo tamen poenarum genere, quæ civilibus judicis ob grave aliquod scelus persolvendæ sunt, nemo liberatur, ita ut qui morte dignus sit, per baptismum a poena quæ legibus constituta est, eripiatur. Tametsi vehementer laudanda esset, eorum principium religio et pietas, qui eam quoque animadversionem, ut Dei gloria in suis sacramentis illustrior fieret, sontibus remitterent ac condonarent. Officii præterea baptismus post hujus vite curriculum poenarum omnium, quæ originale peccatum consequuntur, liberationem: siquidem merito mortis Domini factum est, ut haec consequi possemus. Baptismo autem, ut supra dictum est, ei commorimur. Si enim, ut inquit Apostolus, (a) complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.

*Cur post baptismum ab omni vita misericordia non liberemur.*

XLVIII. Quod si querat aliquis cur statim post baptismum in hac etiam mortali vita his incommodis non careamus atque ad perfectum illum vita gradum in quo Adam primus humani generis parens ante peccatum collocatus fuerat, saecula ablutionis virtute non transferamur: id qui-

(a) Rom. 6, 5.

dem duabus potissimum de causis factum esse respondebitur.

*Prima ratio.* — Quarum prima est quod nobis, qui per baptismum Christi corpori conjuncti, atque ejus membra effecti sumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quam ipsi capiti nostro tributum esset. Cum igitur Christus Dominus, etsi ab initio ortus sui gratia et veritatis plenitudinem habuit, tamen humanae naturae fragilitatem, quam suscepit, non ante depositit quam passionis tormenta, et mortem pertulit, ac deinde ad immortalis vitæ gloriam resurrexit : quis miretur, cum videat fideles, qui jam per baptismum celestis justitiae gratiam adepti sunt, adhuc tamen caduco et fragili corpore vestiti, ut postquam multis laboribus pro Christo perfuncti, et morte obita denuo ad vitam revocati fuerint, tandem digni sint, qui cum Christo aeo semper terno perfruantur?

*Secunda ratio.* — Altera vero causa, cur in nobis post baptismum infirmitas corporis, morbus, dolorum sensus, concupiscentiae motus relinquuntur, illa est, ut scilicet tanquam segetem et materiam virtutis haberemus, ex qua deinde uehementer glorie fructum atque ampliora præmia consequeremur ; nam cum patienti animo vita incommoda omnia toleramus, pravasque animi nostri affectiones sub rationis imperium, divina ope subjicimus, certa spe nisi debemus, fore ut, si cum Apostolo (a) certamen bonum certaverimus, cursum consummaverimus, fidem servaverimus, repositam quoque justitiae coronam reddat nobis Dominus in illa die justus iudex. Sic vero etiam cum filiis Israel videtur Dominus egisse : quos etsi, ab Egyptiorum servitute, Pharaone at-

(a) 2 Tim. 4, 7.

que ejus (a) exercitu in mare demerso, liberavit, tamen non statim in beatam illam promissionis terram introduxit, sed prius in multis variisque casibus exercuit : ac deinde, cum eos in promissa terra possessionem misisset, ceteros quidem incolas e patriis sedibus exturbavit : quasdam (b) vero nationes reliquias fecit quas delere non potuerunt, ut populo Dei bellicæ virtutis et fortitudinis exercende occasio nunguam deesset.

*Tertia ratio.* — Huc accedit quod si per baptismum præter dona cœlestia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari merito posset quin multo presentis potius vitæ commoda, quam futuræ speratam gloriam consecantes, ad baptismum venirent : cum tamen non falsa haec et incerta que videntur, (c) sed vera atque æterna, que non videntur, bona christiano homini semper proposita esse debeat.

*Christianii non sine consolatione patiuntur.*

XLIX. Sed interim tamen hujus vite conditio, qua miseriarum plena est, suis voluptatibus et latitidis non caret. Quid enim nobis, qui jam per baptismum veluti (d) palmites, insiti sumus in Christum, jucundius aut optabilius esse potest, quam, cruce in humeros nostros sublata, eum ducem sequi, nullisque aut laboribus defatigari, aut periculis retardari, quominus ad præmium superne vocations Dei omni studio contendamus ; alii virginitatis lauream, alii doctrine et prædicationis coronam, alii martyrii palmam, alii alia virtutum decorata Domino accepturi ? quæ quidem praeclera laudis insignia nemini darentur, nisi prius nos ipsos in hujus ærumnose vitæ stadio

(a) Exod. 44, 27 et d. — (b) Judic. 5, 1, 2. — (c) 2 Cor. 4, 17, 18. — (d) Joan. 15, 5.

exercuissemus, atque in acie invicti stetissemus.

*Tertius baptismi effectus gratia infusio.*

L. Sed ut ad baptismi effectus oratio redeat, exponendum erit, hujus sacramenti virtute, nos non solum a malis, quæ vere maxima dicenda sunt, liberari : verum etiam eximiis bonis et munericibus augeri. Animus enim noster divina gratia repletur, qua justi et filii Dei effecti, æternae quoque salutis heredes instituimus : nam ut scriptum est, (a) qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (b) : mundataisque Ecclesiam lavaero aquæ in verbo Apostolus testatur. Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus (c) ab omnibus credendum poena anathematis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam et lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiiores reddit. Atque id ex sacris Litteris aperte colligitur, cum gratiam (d) effundit dicant, eamque Spiritus sancti (e) pignus soleant appellare. *Quid fit gratia de qua hic vide August. lib. 1 de Peccat. merit. et remiss. c. 10, item de Spiritu et litera, 28, versus finem. Bernard. Serm. 1, in Cena Domini.*

*Quartus baptismi effectus, infusio virtutum.*

LI. Huic autem additur nobilissimum omnium virtutum comitatus quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur. Quare, cum Apostolus ad Titum ait (f) : *Salvos nos fecit per lavacrum re-*

(a) Marc. 16, 16. — (b) Eph. 5, 25. — (c) Sess. 6, c. 7, de Just. — (d) Tit. 5, 6, 7. — (e) Eph. 1, 14, 2 Cor 1, 22, et 5, 5. — (f) Tit. 3, 5, 6.

generationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum; divus Augustinus (a) verba illa, abunde effudit, explanans: *Nimirum, inquit, ad remissionem peccatorum, et copiam virtutum.* *De hoc effectu baptismi vide Chrysost. homil. ad Neoph. et bapt. Damas. lib. 2, de fide orthodox. c. 56. Laclant. lib. 5 divin. Institut. c. 25. August. Epist. 25 ad Bonifac. item. lib. 1, de Peccat. merit. et remiss. c. 29. Prosp. lib. 1 de Vocatione gent. c. 9.*

*Quintus baptismi effectus, Christo capiti conexio.*

LII. Jam vero per baptismum, etiam Christo capiti tanquam membra copulam et connecti- mur. Quemadmodum igitur a capite, vis manat qua singulae corporis partes ad proprias functiones apte exsequendas moventur: ita etiam ex Christi Domini (b) plenitudine in omnes qui justificantur, divina virtus et gratia diffunditur: quæ nos ad omnia christiana pietatis officia habiles reddit. *Quod per baptismum Christo capiti ut membra connectantur vide August. Epist. 25. Item lib. 1, de Peccat. merit. et remiss. c. 16. Prosp. de Vocatione gent. lib. 1, c. 9. Bernard. serm. 1 in Cena Domini. D. Thom. 3 p. q. 69, art. 5.*

*Dificultas in bene agendo post baptismum unde?*

Neque vero mirum cuiquam videri debet si, cum tanta virtutum copia instructi et ornati sumus, tamen non sine magna difficultate et labore pias honestasque actiones inchoamus, vel certe

(e) D. Aug. Epist. 25. — (b) Joan. 1, 16.

absolvimus. Id enim ob eam rem evenit, quod virtutes a quibus actiones ipse proficiscuntur, Dei beneficio nobis donatae non sint: sed quantum post baptismum accerrime (a) cupiditatis pugna adversus spiritum relicta est, in qua tamen contentione animo frangi, aut debilitari christianum hominem non decet, cum Dei benignitate freti, optima spe niti debeamus, fore u quotidiana recte vivendi exercitatione (b), quemque pudica sunt, quemque justa, quemque sancta eadem etiam facilita et jucunda videantur, haec libenter cogitemus, haec alacri animo agamus, ut (c) Deus pacis sit nobiscum. Vide hac de re Aug. lib. 5. contra Julian. c. 2, et 5. Item de Peccat. merit. et remiss. lib. 1. c. 3.

*Sextus baptismi effectus, character.*

LIII. Præterea, per baptismum consignamur charactere, qui ex anima deleri nunquam potest: de quo nihil est, ut plura hoc loco disserantur, cum licet ex his quæ supra dicta sunt, cum universo de sacramentis ageretur, satis multa, quæ ad hoc argumentum pertinent in hunc locum transferre. Vide August. lib. 6. contra Donatistis, c. 1, et in Epist. Joan. Tract. 5. Trid. sess. 7.

*Baptismus non iterandus, et cur.*

LIV. Sed quoniam ex characteris vi et natura, ab Ecclesia definitum est baptismi sacramentum nulla ratione iterandum esse; ea de re fideles, ne aliquando in errores inducantur, sæpe et diligenter a pastoribus admonendi erunt. Hoc vero docuit Apostolus, inquiens (d): Unus Dominus, una fides, unum baptismus. Deinde cum Romanos

(a) Gal. 4, 17. — (b) Phil. 4, 8. — (c) 2 Cor. 45, 41. —  
(d) Eph. 4, 5.

hortatur, ut mortui per baptismum in Christo, caverent ne vitam, quam ab illo acceperint, amitterent, cum inquit (a): Quod enim Christus mortuus est peccato, mortuus est semel, hec videtur aperte significare sicut ille mori iterum non potest, ita nobis denuo mori per baptismum non licere. Quare sancta etiam Ecclesia se unum baptismum credere palam profitetur: quod qualem rei natura et rationi vehementer consentaneum esse, ex eo intelligitur quod baptismus est quadam spiritualis regeneratio. Quemadmodum igitur naturali virtute semel tantum generamur, et in lucem edimur: atque ut divus Augustinus ait (b), uterus non potest repeti: sic etiam una est spiritualis generatio, nec baptismus ullo unquam tempore iterandus est. *Hac de re vide Trid. sess. 7, de Baptismo can. 11 et 15, item. Concil. Carth. can. 2. Viena. ut habetur in Clem. 1, lib. de sum. Trinit. D. Aug. tract. 11 in Joannem. Beda in c. 5 Joan. Leo Magn. Epist. 57 et 59. D. Thom. 3 p., q. 66, art. 9.*

*Baptismus sub conditione cum ministratur,  
non iteratur.*

LV. Neque vero quisquam putet, eum ab Ecclesia iterari, cum adhibita hujusmodi verborum formula, aliquem ablit, de quo incertum est, an baptizatus prius fuerit: Si baptizatus es, te iterum non baptizo; si vero nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: ita enim non impie iterari, sed sancte, cum adjunctione baptismum administrari dicendum est.

(a) Rom. 6, 10. — (b) In Joan. tract. 11. o m. aboli (4)

*Baptismus sub conditione quanta cum cautela ministrandus.*

LVI. Quia in re tamen diligenter a pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus fere quotidie non sine maxima sacramenti injuria peccatur: neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa baptizent: quare si infans ad eos deferatur, nihil prouersus querendum putant: an is prius ablatus fuerit: sed statim ei baptismum tribuant. Quin etiam, quamvis exploratum habeant, domi sacramentum administratum esse: tamen sacram ablationem in ecclesia adhibita solemnii ceremonia, cum adjunctione repetere non dubitant; quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant. Nam ea baptismi forma ex Alexandri Papæ (a) auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an baptismum rite suscepit, alter vero nunquam fas est etiam cum adjunctione baptismum alicui iterum administrare. *De irregularitate cuius hic est mentio, vide Apostat. et reiterat. baptism. c. Ex Litterarum et de Consecr. dist. 4, c. Eos qui, et lib. 5 decretal. de Baptismo et ejus effectu, c. de Quibus.*

*Septimus baptismi effectus, colorum apertio.*

LVII. Praeter cætera vero quæ ex baptismo consequimur, illud veluti extremum est, quo reliqua omnia videntur referri, quod scilicet celi aditum propter peccatum prius interclusum, unicuique nostrum patefacit. (b) Haec autem qua

(a) Lib. 1 decret. tit. de Baptism. c. de Quibus. —  
(b) Beda, in c. 5 Luc.

in nobis baptismi virtute efficiuntur, ex iis plane intelligi possunt quæ in Salvatoris baptismo contigisse, Evangelica auctoritas confirmavit. Etenim (a) cœli aperti sunt, et Spiritus sanctus columba specie in Christum Dominum descendens apparuit, ex quo significatum est eis qui baptizantur, divini numinis charisma imperti, et colorum januam reserari: non quidem ut simul atque baptizati sunt, sed ut magis opportuno tempore ingrediantur in illam gloriam; cum omnium misericarum expertes, quæ in beatam vitam cadere non possunt, pro mortali conditione mortalitatem assequentur.

*Gratiarum inæqualitas in baptizatis, unde?*

LVIII. Atque hi quidem sunt baptismi fructus, quos, siquidem sacramenti vim spectemus, & que ad omnes pertinere dubitari non potest: sin autem quo quisque animo affectus ad illum suscipiendum accesserit, consideremus, plus minusve celestis gratia et fructus ad unum aliquem, quam ad alium pervenire omnino fateri oportet.

*Precationes, ritus et cæremoniæ baptismi explicandæ.*

LIX. Restat nunc, ut quæ de hujus sacramenti preceptionibus, ritibus et cæremoniis tradenda sint, aperte et breviter explicentur. Nam quod Apostolus de linguarum dono admonuit cum inquit (b): Sine fructu esse, si, quæ aliquis loquitur, a fidelibus non intelligatur: idem fere ad ritus et cæremonias transferri potest: imaginem enim et significationem earum rerum præ se ferunt, quæ in sacramento geruntur. Quod si il-

(a) Matth. 3, 16. — (b) 1 Cor. 14, 2 et d.

lorum signorum vim et potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum cæremoniarum utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur pastoribus opera, ut eas fideles intelligent, certoque sibi persuadeant, si minus necessarie sint, plurimi tamen facientes, magnoque in honore esse oportere. Id vero tum instituentium auctoritas, qui sine controversia sancti Apostoli fuerunt, tum finis, cuius causa ceremonias adhiberi voluerunt, satis docet. Ita enim sacramentum majori cum religione ac sanctitate administrari, ac veluti ante oculos ponи præclarilla et eximia dona que in eo continentur, et in animos fideliū immensa Dei beneficia magis imprimi perspicuum est. *De iis ritibus vide Dionys. c. 2 de Eccles. hier. Clem. Epist. 5. Tertul. lib. de Corona milit. et de Baptism. passim. Origen. hom. 12 in Num. Cypr. Epistol. 70. Item vide de Consecr. dist. 4.*

*Singularum baptissi cæremoniarum explicatio.*

LX. Sed omnes cæremoniae et precatio[n]es quibus in baptismo administratione Ecclesia utitur, ad tria capita redigenda sunt, ut in eis explicandis certus ordo a pastoribus servari possit, et quae tradita ab illis fuerint, auditorum memoria facilius retineantur.

Ac primum quidem illarum genus est quae antequam accedatur ad baptissi fontem servantur: alterum earum, quae cum ad ipsum fontem ventum est adhibentur; tertium earum, quae peracto jam baptismo addi solent.

*Aqua.*

In primis igitur aqua paranda est, qua ad baptissum uti oportet.

*Aqua consecratio.*

Consecratur enim baptissi fons, addito mystice unctionis oleo, neque id omni tempore fieri permisum est: sed, more majorum, festi quidam dies, qui omnium celeberrimi et sanctissimi optimo iure habendi sunt, expectantur: in quorum vigiliis sacre ablutionis aqua conficitur, quibus etiam tantum diebus, nisi necessitas aliter facere coegerit, in veteris Ecclesiæ hoc more positum fuit (*a*), ut baptismus administraretur. Sed quamvis Ecclesia hoc tempore propter communis vitæ pericula eam consuetudinem retinendam non judicavit, tamen solemnes illos dies Paschæ et Pentecostes, quibus baptissi aqua consecrandâ est, summa cum religione adhuc observari.

*Statu ad foras ecclesiaz.*

Post aquæ consecrationem, alia deinceps, quæ baptissum antecedunt, explicare oportet: afferrunt enim, vel etiam adducuntur, qui baptissum initiandi sunt, ad ecclesiaz foræ atque ab ejus introitu omnino prohibentur: quod indigni sint, qui domum Dei ingrediantur, antequam a se turpissimæ servitutis jugum repulerint, et totos se Christo Domino, eisque justissimo imperio adixerint. *Tert. de Corona milit. c. 5. Cyril. Hierosol. Catech. 8.*

*Catechismus.*

Tum vero sacerdos ab eis exquirit quidnam ab Ecclesia petant: quo cognito, primum eos christiane fidei doctrina, quam in baptissimo profiteri debent, instituit: id autem catechismo efficitur:

(*a*) Cypr. Epist. 70. Item Basil. de Spiritu sancto, c. 27, et de Consecr. dist. 4, c. in Sabbat.

(a) cuius institutionis morem a Domini Salvatoris præcepto manasse, nemo dubitare potest; cum ipse Apostolis jussicerit (b): Ite in mundum universum, et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Ex quo licet cognoscere baptismum non esse administrandum, priusquam summa saltem religionis nostræ capita exponantur. Quoniam vero catechismi ratio ex multis interrogationibus constat, si in qui instituitur adulta ætate fuerit, ad ea que rogantur, ipse per se respondet: si autem infans sit, pro illo sponsor rite respondet, solemnemque sponzionem facit.

### Exorcismus.

Sequitur exorcismus, qui ad expellendum diabolum, ejusque vires frangendas et debilitandas sacris et religiosis verbis ac precationibus conficitur. Accedunt ad exorcismum aliae cæremoniæ, quarum singulæ ut qua mysticæ sint, propriam atque illumitem significacionem habent. *De Exorcismis*, vide Tertull. de Præscript. c. 41. Cypr. Epist. 2. August. lib. 2 de Gratiâ Dei, et peccato origin. c. 40, et lib. 2 de Nupt. et Concupisc. c. 26. Optat. lib. 4 contra Parmenianum.

### Sal.

Nam cum sal in illius os, qui ad baptismum adducendus est, inseritur, hoc significari perspicuum est, eum fidei doctrina et gratia dono consecuturum esse, ut a peccatorum putredine liberetur, sapienteque bonorum operum percipiat, divinæ sapientiae pabulo delectetur. *Beda in lib. 1*

(a) Clem. Rom. Epist. 5. August. de fide et oper. c. 9

— (b) Marc. 16, 15 Math. 28, 19.

*Esdræ. c. 9. Isid. lib. 2 de Offic. Ecc. c. 20, et August. lib. 1 Confess. c. 11.*

### Signa crucis.

Obsignantur præterea signo crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures: quæ omnia declarant, baptissimi mysterio sensus baptizati aperiri ac roborari, ut Deum accipere præceptaque ejus intelligere ac servare possit. *De signo Crucis* vide Tertull. lib. de Ressurect. carn. Basil. lib. de Spiritu sancto, Chrys. Contra gentes, et alios.

### Saliva et ad fontem accessio.

Postea vero illi nares et aures saliva liniuntur, statimque ad baptismi fontem mittitur: ut quemadmodum cœcūs ille evangelicus, (a) quem dominus jussicerat oculos luto illitos Siloes aqua ablueret, lumen recuperavit: ita etiam intelligamus sacræ ablutionis eam vim esse, ut menti ad celestem veritatem perspiciemus lumen afferat. *De saliv.* Ambr. lib. 1 de Sacram. c. 1, et *De iis qui myst. init. c. 1, et de Consec. dist. 4, c. Postea.*

### Abrenuntiatio.

His peractis ad baptismifontem veniunt, ibique aliae cæremonie et ritus adhibentur: ex quibus christianæ religionis summam licet cognoscere. Sacerdos enim ter conceptis verbis, eum, qui baptizandus est, interrogat: Abrenuntias Satanae, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus? At ille, aut ejus nomine patrinus, ad singulas interrogations respondet: Abrenuntio. Igitur qui Christo nomen daturus est, hoc primum sancte e religiose polliceri debet se diabolum et mundum deserere, ac nullum unquam tempus fore in quo utrumque veluti hostem teturum non deteste-

(a) Joan. 9, 7.

tur. *Tert. lib. de Coron. milit. c. 15, et de Spectac. c. 4, et de Idol. c. 6, Cypr. Epist. 7 et 54.*

*Fidei professio.*

Deinde ad ipsum baptismi fontem consistens, interrogatur a sacerdote hoc modo : Credis in Deum Patrem omnipotentem? Cui ille respondet : Credo. (a) Atque ita deinceps de reliquis Symboli articulis rogatus, fidem suam solemnis religione profitetur, quibus sane duabus sponsionibus omnem christianæ legis vim et disciplinam contineri perspicuum est.

*Baptizandi voluntas.*

Sed cum jam baptismum administrare oportet, querit sacerdos ab eo qui baptizandus est : num baptizari velit; quod quidem per se vel ejus nomine, si infans sit, patrino annuente, statim in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, salutari aqua eum abluit. Quemadmodum enim homo, sua voluntate serpenti obediens, merito damnatus est, ita Dominus neminem in suorum numerum, nisi voluntarium militem, adscribi voluit : ut divinis iussis sponte obtemperans, aeternam salutem conserueretur.

*Chrisma.*

Jam postquam baptismus absolutus est, sacerdos summum baptizati verticem chrismate perungit : ut intelligat se ab eo die Christo capitit tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, et ea re christianum a Christo, Christum vero a christmate appellari. Quid vero chrisma significet, ex his satis intelligi que tunc sacerdos orat, divus Ambrosius testatur, *lib. 1 de Sacram.* *Dionys. de Eccles. hierar. c. 5. Cyril.*

(a) *Cyrill. Hier. Catech. 2 et 3.*

*Hier. Catech. 3. Basil. lib. de Spiritu sancto, c. 27.*

*Vestis candida.*

Indit postea sacerdos baptizatum veste alba, dicens : Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam aeternam. Infantibus vero, qui vestitu non utuntur, iisdem verbis album sudariolum datur. Quo symbolo significari sancti Patres docent tum resurrectionis gloriam, ad quam per baptismum nascimur : tum nitorem et pulchritudinem qua, dilitis peccatorum maculis, anima in baptismo ornatur : tum innocentiam atque integratatem, quam in omni vita baptizatus servare debet. *Dionys. loco citato. Ambr. De iis qui myst. c. 8.*

*Cereus ardens.*

Et deinde cereus ardens in manu traditur, qui ostendit fidem charitate inflammatam, quam in baptismo accepit, bonorum operum studio alendam atque augendam esse. *De hoc cereo vide Gregorium Nazian. Serm. 5, de Baptism. Gregor. Turon. lib. 5, c. 11. Niceph. Hist. Eccles. lib. 3, c. 12.*

*Nominis impositio.*

Ad extreum vero nomen baptizato imponitur, quod quidem ab aliquo sumendum est, qui propter excellentem animi pietatem et religionem in sanctorum numerum relatus est : ita enim facile fiet, ut quisvis nominis similitudine ad virtutis et sanctitatis imitationem excitetur : ac praeterea, quem imitari studeat, eum quoque preceatur, et speret sibi advocatum ad salutem tum animi, tum corporis defendendam venturum esse.

*Qualia nomina a christianis rejicienda.*

LXI. Quare reprehendendi sunt, qui gentilium nomina, et eorum præcipue qui omnium scleratissimi fuerunt tam diligenter consecrantur, et pueris imponunt: cum ex eo intelligi possit, quantachristiane pietatis studium faciendum existimat, qui impiorum hominum memoria tantopere delectari videntur, ut velint fidelium aures hujusmodi profanis nominibus undique circumsonare.

*Totius de baptismo tractatus recapitulatio.*

LXII. Hæc de baptismi sacramento, si a pasto-ribus explanata fuerint, nihil eorum fere prætermisso esse videbitur, quæ ad hanc cognitionem maxime pertinere existimanda sunt. Demonstratum est enim, quid ipsum baptismi nomen significet; quæ sit ejus natura et substantia; tum ex quibus partibus constet. Dictum est a quo institutus fuerit; qui ministri ad conficiendum sacramentum necessarii sint, quoque tanquam pedagogos ad sustentandam baptizati imbecillitatem adhibere oporteat. Traditum est etiam quibus, et quemadmodum animo affectis baptismus administrari debeat; quæ sit ejus virtus, et efficientia; postremo qui ritus et cæremonie serventur, quantum proposita ratio postulabat, satis copiose explicatum est. Qua omnia ob eam præcipue causam docenda esse pastores meminerint, ut fideles in hac cura et cogitatione perpetuo versentur: ut in iis, quæ adeo sancte et religiose spouonderunt cum baptismo initiati sunt, fidem servent atque eam vitam instituant quæ sanctissimæ christiani nominis professioni respondeant.

**DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.**

*Confirmationis sacramentum explicandi tempus et necessitas.*

I. Si in sacramento confirmationis explicando pastorum diligentia requirenda unquam fuit, nunc certe opus est illud quam maxime illustrare, cum in sancta Dei ecclesia hoc sacramentum a multis omnino prætermittatur: paucissimi vero sint, qui divinae gratiæ fructum quem deberent, ex eo capere studeant. Quare fideles ita de hujus sacramenti natura, vi dignitate tum in die Pentecostes, quo præcipue die administrari solet: tum aliis etiam diebus cum id pastores commode fieri posse judicaverint, docendi erunt, ut intelligent, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate et religione suscipiendum: ne ipsorum culpa, maximoque malo eveniat, ut frustra in eos divinum hoc beneficium collatum esse videatur.

*Hoc sacramentum, cur Confirmatio nuncetur.*

II. Sed ut a nomine initium sumatur: Confirmationem ab Ecclesia (a) hoc sacramentum idcirco vocari docendum est, quoniam qui baptizantur est, cum ab episcopo sacro chrismate ungitur, additis solemnibus illis verbis: Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nisi aliud sacramenti efficientiam impedit novæ virtutis robore firmitior, atque adeo perfectus Christi miles esse incipit.

*Confirmatio est sacramentum.*

III. In confirmatione autem, veram et propriam

(a) Conc. Aur. c. 5. Item Florent.